

decim ebdomadarum, similiter coniungantur quasi in loco David. In Septimbrío tertia sabbati, quod est initium tertii catalogi¹, quasi in loco Iechoniae Deo coniugantur, et habent finem in ipsa nativitate Christi, ubi aliquando in tertia ebdomada finiuntur propter anticipationem nativitatis Domini, aliquando in quarta propter tarditatem. Neque hoc sine ratione est, quia si² computatur catalogus¹ novissime tesserecedecatis³ et semel computetur Iechonias, non amplius inveniuntur cum ipso Christo, quam tredecim. Si ipse bis computetur, quattuordecim inveniuntur. Quattuordecim ebdomadae sunt a prima sabbati usque ad quarti mensis secundam sabbati; similiter ad septimi mensis tertiam⁴ sabbati. Dein iterum quattuordecim usque ad quartam sabbati decimi mensis. Congruunt sibi tempora annorum et statio memoratorum optimatum. Abraham radix pululat⁵ totius ecclesiae, cui dictum est: 'In te benedicentur omnes gentes terre', quasi primus mensis anni, quando incipit terra germinare foetus suos. David Iunio congruit, qui aestate fit, per quam designatur fidei persecutio, Domino manifestante, qui interpretatus est semen iactatum in petrosam terram et solis ortu estuans persecutionem et tribulationem significare. Ut omnibus liquet, David sepiissime persecutus est a Saule et in regno constitutus ab Absalon filio suo. Iechonias Septimbrío, quando tempus mite est, iam⁶ superato populo Israhel, et in captivitatem ducto, non seviebat furor Chaldeorum, sicut eo tempore, quando erant in fronte duelli. Christi adventus Decimbrío, quando tempestates et turbines seculi incumbunt. Magna tempestas circa Hierusalem erat eo tempore, quando in finibus Benjamin et in toto Iuda occidebantur parvuli innocentes a funesto Herode. Eodem tempore lapidatus est Stephanus et omnes discipuli dispersi sunt per regionem. Haec distantia fixa ebdomadarum pro captu meo monstravi magistro; ipse ponat lineam, ubicumque anfractum viderit, poliet. Nunc tangor, ut dicam cur duodecim dies currant per ternarium numerum divisi memoratis mensibus. Dixissem de ieiunio constituto a propheta Zacharia quarti mensis, quinti mensis, septimi mensis, decimi mensis, si idem ordo servaretur apud nos. Nunc quia⁷ mutati sunt menses, oportet considerare quod in manu tenemus. Adversarius noster diabolus semper est paratus ad decipiendum nos, sicut legimus in Apocalipsi Iohannis⁸: 'Et soluti sunt', inquit, 'quattuor angeli, qui parati erant in horam et diem et mensem et annum, ut⁹ occiderent tertiam partem hominum'

1) Verbessert aus 'cathalogi'.

2) 'quasi', verbessert 'quia si'.

3) 'tesserecedechatis' Hs.

4) 'tertia' Hs.

5) 'pululat' Hs., mit über o gesetztem v.

6) Lies 'nam'. W.

7) i ist nachträglich übergesetzt.

8) Apoc. 9, 15.

9) Verbessert aus 'et'.